



## **Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia**

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

**Raynaud, Théophile**

**Lugduni, 1665**

X. Christus, Caput prædestinatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

## Christus caput prædestinatorum 379

omni nonstrum; corpus quidem hominis, caput autem Daemonis habens. Non solum autem, sed etiam erunt nouissima hominis illius peiora prioribus, cum vipereū illud caput, quod prius fuerat amputatum, non absque septem nequioribus se reuertatur. Quis nō solo contrectat auditu? Tollens membrū Christi, faciens membrum demoniorum? Abscessus autem à corpore Christi, Satanæ miser incorporabitur? sit procul à nobis semper, execranda ista commutatio, fratres mei. Mihi omnino adhaerere tibi bonum est, & caput gloriosum & benedictum in sæcula, in quod & Angeli prospicere concupiscunt. [E. contrario potius faciendum, quod olim deiectis Tyrannorum statuis & substituto illidem capite Principis legitimi, ut scribit D. Hieronymus Abacus, 3. ad illud, *maledixisti septuaginta eius, caput bellatorum eius*. Quod Septuaginta uerterunt, *diuisti in stupore capita potentium*. Et apratur à S. Hieronymo impiis cœtibus, & corporibus mysticis, quorum profano capite resecto, Christus caput conuenienter restituitur,

### VII.

#### *Summella antedictorum.*

766 Summam fructuum omnium qui ex posita doctrina de Christo capite erui possunt, repræsentō verbis Gregorij Nysseni lib. de perfecta Christiani forma; [Qui Ecclesiæ caput Christum esse didicit, illud in primis cogitet vnā esse capitis & subiecti corporis naturam, & singula membra cum toto, naturali quadam necessitudine coniuncta esse, quæ partes toti ita conciliat, ut miro consensu inter se conueniant. Ex quo fit, ut si quid extra corpus est, id etiam à capite omnino seiunctum sit. Ex hoc igitur intelligimus, quod naturā caput est, idem fieri singula membra, ut cum ipso capite propriè amiceque consentiant. Nos autem membra sumus, qui in Christi corpus coalescimus. Quare si quis membrum Christi tollens, efficiat membrum meretricis, hic rabiem improbæ illius libidinis tanquam gladium accipiens, per hanc prauam perturbationem membrum prorsus abscondit à capite. Sic item reliqua malitiæ instrumenta, sunt veluti gladij quibus membra à proprio corpore amputantur, & omnia seiunguntur à capite, quorum sectionem perturbationes efficiunt. Ut igitur totum corpus in naturali amicitia cum capite permaneat, æquum est, ut mutua concordia singula item membra inter si coniungantur. Quamobrem cum ipsum caput non modò purum, integrum, castūque sit, sed ipsa quodammodò puritas, integritas, & castitas existimetur; quæ sub eiusmodi caput membra concurrunt, ea item pura, incorrupta, castaque sint, consentaneum est. Denique quidquid de capite cogitamus, ut pacem, sanctimoniam, veritatem, & alia omnia eiusdem generis, in membris quoque concipienda sunt. Per filium enim hæc & talia in membris demonstrantur, quod ea naturali necessitudine cum capite coherere, sit testimonio comprobatum, cum sic Apostolus dixerit, Christum esse caput ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam secundum operationem in mensuram vnusquisque membri, augmentum corpo-

ris facit. Illud præterea & hos capitis nomine discere debemus, quemadmodum in animalibus ex capiti prouenit corpori ad agendum occasio atque incitatio: siquidem & pedum & manuum motus atque opera omnia, oculorum & aurium ope diriguntur: etenim nisi oculi præfint fatagenti, & aures imperium excipiant, nihil eorum quæ proposita sunt, rectè fieri potest. Sic ex veri capitis sententia, corpus in rebus omnibus modò ad hoc, modò ad illud agendum dirigi & moueri oportere, quocumque ille, qui finxit oculum, & plantauit aurem, daret. Quando igitur caput, quæ supra sunt, respicit, opus est, ut quæ capiti apte subnexa sunt membra, ipsius capitis ductum sequantur, & ad ea quæ supra sunt, tendant.]



## CAPVT X.

### *Christus caput Prædestinatorum.*

**E**CCLESIAM ex solis prædestinatis non coalescere, certa fides docet, & latè à Bellarmino lib. 3. de Ecclesiâ c. 8. contra Wiclefii, & Hussi, ac Caluini deliria confirmatur. Cum ergo monstratum hætenus sit, Christum esse caput Ecclesiæ quatenus ex omnibus suis membris coalescit; seorsim nunc idem monstrandum est, de lectissimo illo cœtu prædestinatorum, cum hominum tum Angelorum: quia quamuis comprehendantur ambitu Ecclesiæ vniuersè accepta, cui hætenus monstrauimus Christum esse caput, tamen sicut peculiaria beneficia his per Christum communicantur quæ nemo alius accipit; ita quod eis præsit, & respectu eorum rationem capitis habeat, eximiam quandam dignitatem Christo confert, meritò seorsim considerandam.

### *Christum in humana natura, prædestinatum.*

767 Principio autem supponendum est, Christum esse in natura sua humana prædestinatum. Nam quod in diuina natura sit prædestinatus, nefas sit dicere: quia prædestinari idem est quod diuinitus ordinari ad aliquid. V. G. ad gloriam, vel ad esse diuinum personale. At constat, personam Verbi prout in diuinitate subsistentem, ad nihil posse ordinari. Deinde prædestinatio est actio libera Deo, proindeque proximè terminatur ad aliquid creatum. In Christum igitur prout Deum, non cadit prædestinatio. Cadit tamen ratione humanitatis, iuxta illud Apostoli Roman. 1. *qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex Resurrectione mortuorum, Iesu Christi Domini nostri*. Sunt quidem qui illud prædestinatus est, negant referri ad æternam Dei prædestinationem, cum vox Græca aliud non ferat, quàm *declaratus est*; sitque proinde sensus, Christum declaratum esse filium Dei, per eam virtutem quam exhibuit, peccata remittens atque resurgens. Quam expositionem latè prosequitur Valques 3. parte d. 90. c. 3. & d. 91. c. 2. Eaque ex causa, Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini, Interpretem nostrum circa

eum locum allatrat; contendens vertendum fuisse declaratus est, non autem *prædestinatus* est. Optimè tamen vertisse Interpretem vulgatum, rectè demonstrat Bellarminus l. 2. de verbo Dei c. 14. *ad veritatem locum*. Verbum enim Græcum *ἐπιλέγειν* quod profani quandoque vertunt *declarare*, in Scripturis, ut notat S. Dionysius c. 5. de Diuin. nom. significat *ordinationem*, seu potius *præordinationem* & *prædestinationem Dei*, ut apertè liquet ex Roman. 8. verbis illis quos *prædestinavit* Græcè *ἐκρίνω* & ex c. 2. Actorum verbis illis, *tunc definitio consilio*. Quibus locis, nemo non videt agi de *prædestinatione* & *ordinatione* diuina æterna, non autem de *deklaratione* & *manifestatione*. Merito ergo antiquissimi Patres locum Apostoli Roman. 1. eo modo quo retulimus allegarunt, ut S. Irenæus l. 3. c. 3; Hilarius l. 7. de Trinitate, & alter Hilarius Roman. 1. Augustinus lib. de *Prædestinatione* sanctorum c. 15. Videlicet latè excutientem ea verba Toletum Opuscul. in illum Pauli locum, qui multis tricus scholasticis quibus oneratus est, liberabitur; si aduertamus, non dicere ibi Apostolum, Christum *prædestinatum* & *ordinatum* fuisse ad esse filij Dei, sed *prædestinatum* esse ad esse filij Dei in virtute: id est ut esset filius Dei, paterator insignium operum, per quæ consecutum est, ut agnosceretur quod erat: quod satis est, ut ex eo Apostoli loco colligamus Christum esse *prædestinatum*, quod vnum nunc asserimus. Diserte quoque Concilium Toletanum 11. in Professione fidei, Christum in natura humana *prædestinatum* esse, agnoscit. Sic enim de Christo scribit. [Hic per hoc quod de Deo Patre sine initio prodiit, natus tantum, (nam neque factus, neque *prædestinatus* accipitur; ) per hoc tamen quod de Maria Virgine natus est, & factus, & *prædestinatus* esse credendus est.] Item S. Augustinus Tract. 106. in Ioannem negat id salua fide negari posse. Quasi verò, (inquit,) quisquam regulam fidei fideliter intuens, filium Dei negaturus est *prædestinatum*, qui eum negare hominem non potest? Rectè quippè dicitur non *prædestinatus* secundum id quod est Verbum Dei, Deus apud Deum. Ut quid enim *prædestinaretur*, cum iam esset quod erat, sine initio sine termino sempiternus? Illud autem *prædestinandum* erat, quod nondum erat: ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora *prædestinatum* erat ut fieret. Quisquis igitur Dei filium *prædestinatum* negat, hunc eundem filium hominis negat. Communique hoc statim, loco Apostoli prolato ex cap. primo ad Romanos. Quare extra dubium esto, Christum esse *prædestinatum*.

*Ad quid Christus, in humana natura prædestinatus.*

768 Restaret exquirendum, ad quem terminum Christus dici possit *prædestinatus*. Sed ad rem præsentem sufficit, quod Christus dicatur *prædestinatus* ad gratiam & gloriam æternam. Admitto quoque Verbum Dei dici posse *prædestinatum*, ut qui erat filius Dei, fieret filius hominis. Hæc enim omnia tantum designant æternum Dei decretum, de

conferenda Christo gloria; vel communicanda humanitati Christi subsistentia Verbi. Non sonant autem gratiam illam, aut beneficium ipsi Verbo conferendum.

Et cum hac prædicatione, necesse est recurrat illa alia circa quam rixantur Doctores; *Christus, aut hic homo* Christo designato, est *prædestinatus ut sit filius Dei*. Eam valere, negant Toletus in cap. primo ad Romanos, annotat nona, Becanus de Incarnatione cap. 19. quæstione secunda, Præpositus, tertia parte, quæst. 24. numero vigesimo. Non debent autem hæc duæ propositiones confundi. Prima *Verbum prædestinatur ad se viuendum humanitati*. Secunda *Christus prædestinatur ut sit filius Dei*. Longè quippè aliud est, Verbum quod præerat Incarnationi, *prædestinari* ad terminandam naturam humanam, & compingendum Christum, (id quod nunc admittimus,) ab eo quod est, Christum *prædestinari* ut sit filius Dei; quia in Christo inuoluitur diuina filiatione. Si igitur quod *prædestinatur* ad aliquid accipiendum, necesse est ut careat eo ad quod *prædestinatur*; alioqui enim frustra *prædestinaretur*; quomodo verum esse poterit, Christum *prædestinari* ut sit filius Dei, qui eo ipso quod Christus est, filius quoque est Dei.

Respondent qui prædictam propositionem censent admittendam, Suares tomo primo, disputat. 50. sectione secunda, Valques distinct. 90. capite tertio, Antonius Petes controversia in Epistol. ad Roman. cap. 8. Respondent inquam, nomen Christi, aut huius hominis pro ut subiicitur in ea propositione, *Christus, vel hic homo est prædestinatus ut sit filius Dei*, non sumi pro ut determinat & distinctè sonat diuinum suppositum filij Dei; quo pacto argumentum propositum virget, euenireque prædicationem esse nugatoriam; sed sumi pro ut in confuso designat suppositum aliquod, cuius ratio explicatur, seu proponitur distinctè in prædicato. Prius enim ratio est, esse suppositum, quàm esse tale suppositum. Ratione ergo illius prioritatis & antecessionis, qua suppositum, quodcumque tandem illud sit, constituit Christum, siue hunc hominem, dicitur Christus, vel hic homo, *prædestinari* ut sit filius Dei. Eodem penè recidit modus quo Alphonsus Curiel, tertia parte, quæstione vigesima quarta, articulo secundo, veritatem eiusdem propositionis tuetur. Ait enim in diuina Verbi filiatione ad quam humanitas Christi euecta est, spectari posse, & quod sit personalitas, & quod sit filiatione. Nam ratio personalitatis, ut per se patet, est communior, atque adeo ratione anterior, quàm filiatione. Itaque ait, Christum ut est persona subsistens, *prædestinari* ut sit filius.

Hos duos dicendi modos coniungi, quia facile euertuntur vno illo argumento, quod aliquis potest tantum dici *prædestinari* ad illud quod non habet. Atqui Christus eo ipso quod habet esse hominis, habet diuinam personalitatem, qua homo ille constituitur persona: itaque eo ipso quod habet diuinam personalitatem, necessario quoque habet filiationem. Et quomodo illa duo sint vtrumque per conceptus nostros confusos, & distinctos precisibilia, cum antecessione aliqua rationis, ita ut nobis imperfectè concipi

## Christus caput prædestinatorum. 381

conspiciuntibus, possint intelligi vnum ante aliud: Tamen impossibile est, vt insint alicui vnum absque alio. Si igitur inest Christo, siue huic homini diuina personalitas aut filiatio, quomodo accipienda vel conferenda decernitur? quod est, Christum vel hunc hominem, prædestinari vt sit filius Dei? Sicut quis dicat, huic animali, designato boue, decerni conferendam rationem bouis, quæ reipsa conferri non potest seientem, à ratione animalis, quam tantum Metaphysicè contrahit?

Mea sententia est, veram quidem esse propositionem illam, *Christum vel hic homo, prædestinatus est filius Dei siue vt esset filius Dei*. Sensum tamen eius esse debere, quod Christus non quomodolibet, siue in sua personalitate, sed in sua humanitate sit prædestinatus vt esset filius Dei, eamque summam gratiam in humanitate sua acciperet. Sicut Verbum Dei dicitur passum, non tamen in seipso, eum sit passionis incapax, sed in carne & humanitate sua. Ad præsens tamen institutum tota hæc disputatio est superuacanea; quia hic intendimus agere tantum de Christo capite prædestinatorum. Vnde satis est, vt sit prædestinatus ad gratiam & gloriam, quod omnes admittunt.

### *Christum exemplar prædestinationis omnium.*

769 Non contentus S. Augustinus, Christum profiteri prædestinatum, æquè ac nos prædestinatur; addit insuper, Christum esse prædestinationis exemplum longè illustrissimum. Sic enim scribit lib. de prædest. 5. cap. 15. [Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse Saluator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.] Et inferius. [Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ vnde secundum vniuersus mensuram se per cuncta eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia, homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso Spiritu & hic renatus, de quo ille est natus: eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est, vt nullum haberet ille peccatum. Hæc se Deus esse facturum profectò præcivit. Ipsa est igitur prædestinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maxime claruit: quam negare quis potest, rectè intelligentium eloquia veritatis. Nam & ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei filius, prædestinatum esse didicimus. Clamat Doctor Gentium in capite Epistolæ suarum. [Et lib. de dono persequ. cap. 24. commendans verba relata priore loco. [Nullum est (inquit) illustrius prædestinationis exemplum, quàm ipse Iesus: vnde & in primo libro iam di putauit, & in huius fine commendare delegi: nullum est, inquam, illustrius prædestinationis exemplum, quàm ipse mediator. Quisquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inueniat & seipsum.] Et mox. [Qui ergo hunc fecit ex semine David hominem iustum, qui nunquam esset iniustus, siue villo merito præcedentis voluntatis eius: ipse ex iniustis facit iustos, siue villo merito præcedentis voluntatis ipsorum, vt ille caput, hi membra sunt eius. Qui ergo fecit illum homi-

nem siue vllis eius præcedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur, vel orig. trahere, vel voluntate perpetrare peccatum: ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Qui fecit illum talem vt nunquam habuerit habiturumque sit voluntatem malam, ipse facit in membris eius ex mala voluntate bonam. Et illum ergo & nos prædestinauit, quia & in illo vt esset caput nostrum, & in nobis, vt eius corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præcivit.] Vides quorsum S. Augustinus, toties confirmet Christum esse prædestinationis exemplar micantissimum; nempe quia prædestinatio, est merè gratuita præparatio supernaturalium Dei beneficiorum. At destinatio humanitatis Christi ad esse Verbi personale, facta est nullis præsuppositis meritis Christi, vt suo loco vidimus, tractantes causam Incarnationis meritariam; vbi cum Diuo Augustino probauimus non fuisse Christo eam generationem retributam, sed tributam. Merito ergo Christus, dicitur non modò prædestinatus, sed etiam exemplar prædestinatorum.

### *Et caput prædestinatorum quorumcumque. Eminentia eius & perfectionis excessus perstringitur.*

770 Nobis hoc loco addendum insuper est, Christum esse caput prædestinatorum, tam hominum quàm Angelorum. Hoc vt euincamus, recolenda sunt capituli mystici prærogatiuæ superius propositæ; monstrandumque, siue prædestinatio propriè sumatur, nempe pro electione ad gratiam, siue paulò latius, hoc est pro electione ad gloriam, omnes illas in Christum cadere respectu quorumcumque alterutro illo modo prædestinatorum, siue hominum, siue Angelorum. Prima erat, eminentiæ seu primatus in serie & ordine plurium simul conscriptorum; Secunda excessus in perfectione: Tertia directionis & influxus. Omnibus his modis, Christus est electus ex millibus; id est, supra omnes electos, adhibito numero illo determinato pro indeterminato ac propè immenso; Nam turba electorum magna est, quam dinumerare nemo poterat. Ei autem vniuersæ, cum sine ordine & acephala esse non debeat, caput est Christus: alioqui Dei opus quod est super omnia eius opera, cæcus nimirum prædestinatorum, non esset perfectum.

Sed de eminentia & perfectione Christi supra omne electos, satis superque liquet ex disputatis supra de Christo omnis Ecclesiæ capite: vbi vtrique illa Christi prærogatiua, præterquam quod ex se perspicua videtur, est apertè demonstrata, vniuersè & generaliter loquendo. Nunc specialiter illustrare eas possumus quoad electos, quia nemo ad tam sublimem locum inter electos est ordinatus; nemo ad tantam, tamque eximiam perfectionem, siue gratiæ, siue gloriæ, in quanta est Christus. Quamuis enim de signo rationis in quo Christus decretus est, & ordinatus ad esse, & consequenter ad abyssum gratiæ & gloriæ queis potitur, controuersia sit inter Theologos; nec certum sit Christum esse prædestinatum in primo signo; imo longè

longè probabilius sit, Christum prædestinatum tantum esse occasione peccati, atque ad eod prædestinatum tantum fuisse in posteriore signo quam sanctos Angelos: quam litem dicemus supra tractantes finem aduentus Christi: Tamen extra omnem controuersiam est inter Theologos, Christum in quocumque tandem signo sit prædestinatus, tamen ordine eminentiæ, & dignitatis debere perfectioni superexcellenti huius personæ, infinitis paralangis antegredi omnes electos; nec vllum esse qui cum eo non modo contendere, sed vel componi queat, quoad primatum in serie electorum & dignitatem in quacumque ratione electionis.

771 Est id expressum luculenter apud Psaltem, cum in Christi persona ait Psal. 39. *In capite libri scriptum est de me;* cuius loci varios sensus dederunt varij Patres. S. Quid Hieronymus initio Traditionum in Genes. librum illum in cuius fronte de Christo sit scriptum, interpretatur, Genesim, quod ibi habeatur cælum & terram creata esse in principio: id est in filio, per quem omnia facta sunt, & adducit Tertullianum, Hilarium, & Iasonis ac Papisci altercationem in eam sententiam. Idem tamen in capit. 29 Esaiæ, librum in cuius capite de Christo scriptum est, interpretatur scripturam vniuersam; cuius varij libri, ob summam consonantiam vnus liber habentur. Vnde lex Moysi vnus liber dicitur, & Evangelia quatuor, vno nomine libri Euangeliorum designantur, vt idem S. Hieronymus obseruat, in calce Commentarij in Ecclesiastem, & S. Augustinus præfat. in Psal. 150. Et hic est liber ille, scriptus intus & foris; id est in sensu, & in littera: & liber signatus apud Isaiam, & in Apocalypsi Ioannis. Hoc ergo pacto, sensus Psalms est, in volumine libri, (sic enim habet altera lectio loco capitis), scriptum esse de Christo; id est omnes scripturas Christum sonare. Editio tamen Symmachi, tertiam suppediat interpretationem; iuxta quã, Christus scriptus est in capite libri, id est in volumine prædestinationis, *in τῷ κεφαλῇ τοῦ βιβλίου*. Itaque Glossa, & creditus Anselmus Hebraei. 10. ibidemque S. Thomas, librum in cuius fronte Christus descriptus est, intelligunt librum prædestinationis æternæ, in quo Christus, exaratus est primo loco. Ex serie prædestinationis ad gratiam, quia gratia & gloria seruant proportionem, tanquam semen & fructus.

Illustrate præterea primatum illum Christi, & perfectionis excessum respectu prædestinatorum omnium, possumus ex verbis Apostoli Roman. 8. *scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti*. Propositum Dei, *ἐν ᾧ οὐκ* appellat æternum Dei decretum, quo eximia illa beneuolentia in electos prodita est. Etiam si enim hic in via, & per huius vitæ scamina conflictentur cum incommodis; tamen omnia Deus in illorum bonum vertit. Eaque ratione. Facit illos conformes imaginis filij sui: id est illius diuinæ imaginis quæ est ipse filius Verbum homo, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quæ est Chrysostomi, Hieronymi, & crediti Anselmi interpretatio: melior sanè quàm quæ à Basilio lib. 5. contra Eunom. & ab Athanasio, Epist. ad Serap. data est, quibus imago filij cui conformantur electi, est Spiritus sanctus, cuius

sanctitatem æmulantur. Sed est profecto ea interpretatio non nihil distorta. Simplicius autem imago filij, est imago quæ est filius, id est Christus. Itaque continent ea Pauli verba, potentissimum argumentum, quo Romanis persuadet ne frangantur aduersis, ob fidem Christi ingratibus. Eam enim docet esse viam certam, ad piscendi conformitatem cum capite electorum omnium Christo Domino: qui hic in via, variatus variè & omnibus modis probatus, est tentatus per omnia absque peccato. Et nititur sanè Apostoli ratiocinatio, firmissimo fundamento. Nam primum in vno quoque genere vt fert Aristotelicum effatum, est mentura ceterorum. Par ergo fuit, vt qui electi secundarij erant, principi electorum conformes fierent, eique per omnia assimilarentur in vniuerso viæ & vitæ decursu. Satis de duobus primis Christi capitibus electorum prærogatiuis.

*Directio Electorum, per Christum, & in eius influxus.*

772 Prærogatiua tertia capitis mystici electorum omnium, iuxta supradicta, continetur speciali ac eximia directione eorum, & influxu in gratiam, tota prædestinationis eorum serie comprehensam, ac gloriæ denique ascensionem. Omnia hoc, nullo negotio vendicari Christo possunt. Et directionem quidem, expresse habemus Ioannis 10. vbi Christus pronuntium Iudeis locutus, nec ab eis satis intellectus, ait de vero Pastore, eum proprias oves vocare nominatim, eaque educere, & vadere ante eas: Oves autem illum sequi, quia sciant vocem eius. Quod mox Christus ipse, de ovis rationalibus ad dexteram in mundi meta locandis, interpretatur: hique se ducem & directorem contestatur, pro affectu quo eas cognoscit, vicissimque ab eis cognoscitur: id est impetissimè diligit, & diligitur. Ex quo fit, vt sequantur oves illæ Christum ducem, magno imo immenso suo bono. *Sequitur me* (inquies) *ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, ipsa inquam salus electorum, vel potius communicatio diuinitatis, vt interpretatum est Concilium Lateranense, relictum capite firmiter; aut vnio hypostatica cum persona Verbi; manus omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei*. Ostendunt hæc verba, certitudinem directionis electorum ad gratiam finalem, & ad gloriam. Quæ directio, non plus à quoquam sit impedienda, quàm superanda Patris infinitas essentialis, filio communicata. Vt proinde non sit timendum directioni certæ ac infallibili electorum, à violentia Satanæ, eiusve emissariorum: imo nec ab ipsa voluntatis humanæ vertibilitate, quàm Deus probè nouit, quibus dulcedinis benedictionibus præuenire debeat, vt effectus & executio directionis, quamuis eluctabiliter, tamen infallibiliter consequatur.

Agnoscebat intentam in electos Christi prouidentiam, & ad directionem præstandam studium, quæ dicebat, *dilectus meus mihi*; quæ verba de hac electorum directione, sic interpretatur sanctus Bernardus serm. 68. in Cant. [Nos sumus in quos intendit Deus. Quanta tamen disparitas? Quid terrigenæ & filij hominum, eorum

coram illo secundum Prophetam: sic sunt quasi non sint, & quasi nihilum & inane, reputati sunt ei. Quid sibi ergo vult ista inter tam disparatim comparatio? Aut illa in immensum gloriantur, aut in immensum amant. Quam admirabile est, quod illius intentionem ista sibi quasi propriam vendicat, dicens: *Dilectus meus mihi*. Nec eo contenta tamen, pergit amplius gloriarì respondere se illi, quasi ex æquo motem gere-  
re, rependere vicem. Sequitur enim. *Et ego illi*. Insolens Verbum, *Et ego illi*, Nec minus insolens: *Dilectus meus mihi*; nisi quoddam utroque insolentius, utrumque simul. O quid audet cor-  
porum, & conscientia bona, & fides non ficta! Mihi, (inquit,) intendit. Itane huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio pariter & admini-  
stratio vniuersitatis incumbit? & cum sæculo-  
rum, ad sola transferretur negotia (imò otia) amoris & desiderij huius: Ita planè. Ipsa est enim Ecclesia electorum, de quibus Apostolus, *Omnia*, (inquit,) *propter electos*. Et cui dubium, quod gratia & misericordia Dei sit in sanctos eius, & respectus in electos illius? Ergo providentiam cæteris creaturis non negamus; curam sponsa vendicat sibi.]

Sed luculenter planè directionem illam electorum per Christum, exposuit Dauid toto psalmo 22. Nam eo Psalmo, agi de providentia & directione electorum, totus psalmi contex-  
tus manifestè ostendit, & piè omnino prosequitur Card. Bellarminus eo loco. Ibi & suppeditatio spiritualium bonorum, & elongatio ma-  
lorum saluti aduersantium, & consolatio in in-  
commodis vitam piam affectantibus, & gratia finalis, ac denique quidquid ad electorum direc-  
tionem plenam & consummatam pertinere potest, sub metaphora ouis à Pastore directæ designatur: cuius nunc psalmi particulari expen-  
sione superfedeo, quod inferius de Christo Pa-  
store & rationalibus eius ouibus sit differendum Christum autem esse, cuius providentia, & cuius directio eo psalmo describitur, agnoscit Latinus Autor cuius, homilia in Chrylotoom. interpreta-  
tionem psalmorum obrepsit, nec non Euthy-  
mius, & alij recentiores.

Petgo ad influxum; qui spectandus est quoad dona electis pecuniaria; cum creata, gratias in-  
quam lectissimas, & præsertim finalem, nec non gloriam; tum etiam increata, hoc est actum ipsum increatum electionis diuinæ, ad cuiusmo-  
di bona electorum pecuniaria terminatum. Sed de donis creatis, res est explorata, tam ex innu-  
meris alijs Scripturis, quarum pleraque iam protulimus, hoc, & superiori capite, quam nomi-  
natum ex Epist. ad Ephes. c. 1. quo Apostolus, omnium gratiarum quibus electi donantur, bea-  
tam adoptionem Christo acceptam refert. Lo-  
cus est paulò prolixior sed qui quodvis mel,  
suauitate transcendat. *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Chri-  
sto, sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitu-  
tionem, ut essemus sancti & immaculati in con-  
spectu eius, in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ip-  
sua secundum propositum voluntatis sue: in lau-  
dem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum se-  
cundum diuinam gratiæ eius, qua superabundauit*  
Theoph. Raynaud de Attrib. Christi.

in nobis in omni sapientia & prudentia, ut no-  
tum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaura-  
re omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt, in ipsis, in quo etiam & nos? Forte vocatè sumus, prædestinati secundum propositum eius quod operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ eius. Habemus in his verbis, à Christo esse, & adoptionem elec-  
torum, & remissionem peccatorum eis indul-  
tam, & sapientiam ac prudentiam superabun-  
dantem qua in via Dei claruerunt, & omnem denique (ut verbo rem complectar) benedi-  
ctionem spirituales, in cælestibus: qua scilicet electi ad bona supernaturalia edenda assurgunt, & in gratia sanctificante finaliter perseverant. Agnoscit inquam Apostolus, hæc omnia à Chri-  
sto esse, quod optimè ibi expendit Occumenius. Et hæc est causa, cur electi iuxta eundem Apo-  
stolum dicantur *creari in Christo in operibus bonis*. Et forte *vocari in Christo*, eligique *in ipso*. Idem sonat illud 2. Timoth. 1. *vocauit nos voca-  
tione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secularia*.

An electio æterna, possit esse ex Christi meritis; Difficultas biceps.

773 Expendendum verò est paulò pres-  
sius, quod dixit Apostolus eligi nos in Christo ab æterno. Nam electio non est gratia creata, sed actus ipse diuinus increatus, qui non vide-  
tur posse esse ex meritis Christi, cum sit ens à se, cui repugnat causari per aliquid; etiam si mo-  
ralis tantum sit causatio, cuiusmodi est causæ meritoria. Deinde electio illa distingui potest duplex, nimirum vel absoluta, vel comparatiua. Absoluta est qua Deus personam aliquam or-  
dinat ad bonum gratiæ specialis, & gloriæ cum effectu assequendæ, nulla facta comparatione cum alijs personis, quæ ad idem bonum non as-  
sumantur: quæ potius dicenda esset dilectio, quam electio. Vnde absoluta hæc electio, ex parte intellectus, potest ad vnicam personam eligenti obuerantem tendere: nec exigit pro-  
positionem personarum plurium. Ex parte item voluntatis, nullam habet adiunctam volitionem alterius personæ. Comparatiua verò & propriè dicta electio, ea est quæ sit ex affectu erga vnum, assumptum ad aliquid præ alijs, à quibus exemptus est. Vnde & propositionem plurium personarum supponit, & confert vo-  
litionem vnius, alteriusque reiectionem. Neutra ex his electionibus, videtur posse Christo homini attribui. Non enim absoluta, quia Ange-  
li & homines, electi sunt simul & semel, ac in eodem signo rationis, tanquam duo patietes eiu-  
dem cælestis Hierusalem, ut scitè dixit Orho Frising. lib. 8. Historiæ, c. 32. Atqui Ange-  
li, electi sunt ante præuissum peccatum: Ergo & homines. Cum igitur supponamus Chri-  
stum fuisse electum post præuisionem peccati, ad quod expiandum decretus est; quomodo dici potest, Christum meruisse absolutam dilectio-  
nem electorum quæ præcellerat in anteriore signo? Multo verò minus videtur meruisse præelectionem, seu dilectionem comparati-  
uam:

CCC uam:

nam: quia Christus non potuit offerre sua merita ad huius præaltero electionem curandam, si ea electio præsupponatur iam facta. Meriti enim quod iam decretum est, nihil est aliud quam actum agere. Atqui electio vnius hominis præaltero iam præerat in mente & voluntate diuina, ante Christi præuisionem. Neque enim Deus qui ante præuisionem, Reparatoris elegerat aliquos reiectis aliis, confusè & indistinctè elegerat eos in quibus sibi complacuerat: quæ esset imperfectio dedecens Deum. Igitur præelectio illa, solius diuinæ voluntatis & beneplaciti factus est: ut propterea Christus, datos sibi à Patre electos profiteatur, non autem optione sua delectos.

*Electioem absolutam, esse ex Christi meritis, non repugnat ratione independentiæ diuini actus.*

774 In hac difficultate; primum illud punctum quod spectat ad causationem diuini actus per Christi merita, facile expeditur. Admittendum enim est, verè actum Dei increatum circa electos, esse à Christi meritis: non ut actus increatus est, sed ut terminatur ad electos. Ea quippe ratione, nihil vetat, actum liberum Dei cadere sub meritum nostrum. Hoc est quod aliis verbis dicitur, actum diuinum non posse habere causam physicè influentem, quia id pugnat cum independentia & infinitate essentiali: posse tamen habere rationem obiectiuam, non quidem existentie sue realis, (quia sic totum esse diuini actus est necessarium, & causa incapax, ac etiam rationis obiectiuæ petita ex parte creaturæ operantis liberè;) sed terminationis sue liberæ ad talem effectum creatum. Sic Deus quamuis ex se nolit malum homini, tamen prouocatus ab homine, & ab eo obiectiuè determinatus, decernit ei supplicia æterna. Similitèque supposito pacto & promissione rependendæ gloriæ bonè operantibus, determinatur ad volendum conferre gloriam, iis qui rectè se gesserint. Sicut ergo in actibus diuini intellectus, locum habet determinatio obiectiua ab extrinseco Deus enim præscit res futuras, quia futura sunt; ita ut futuritio sit ratio obiectiua determinans Deum ad præsciendum. Ita in actibus diuinæ voluntatis, cerni potest similis conditio præsupposita ex parte obiecti, ut ad illud terminentur: quod est dari rationem aliquam diuinæ volitionis. Vnde quod merita Christi sint eiusmodi ratio obiectiua, ex qua Deus motus sit ad volendum conferre electis hæc & illa beneficia, nihil est quod veret, quantum est ex parte independentiæ actus diuini, quæ sola obiectiebatur. Nam ea præsuppositio obiectiua, non est cum vera causalitate in actum diuinum ut in se est; sed tantum infert inclinationem diuinæ voluntatis, terminatæ ad hoc obiectum propter illud: qua in re nulla est imperfectio, ut plenius traditur prima parte q. 19 & à Suarez l. 2. de prædest. c. 22. necnon à Didaco Ruio disp. 3. de prædestinat. sect. 3. & sequentibus, & disp. 15. de voluntate Dei à sect. 3.

Scrutandum autem superest, an ea diuinæ voluntatis inclinatio per Christi merita, ad volendam electis gloriam, possit stabiliri ex Scripturis; aut repugnet aliundè quàm ex parte in-

dependentiæ actus diuini. Nam si nulla ex parte repugnet, eamque influentem vel trahentem Scripturæ, admittenda erit. Sin minus erit obleganda; sistendumque præcisè erit, in influxu Christi circa dona creata prædestinati collata: qui influxus certus est, ut præmissimus. Eoque modo processisse videntur antiqui Scholastici, S. Thomas Alenſis; Bonauentura, Albertus, Richardus, Durandus, Gabriel, quos adducit Suarez lib. 2. de prædestinat. cap. 24. numer. 10. & 11.

*Nec ex alio capite, & quomodo id explicandum.*

775 Generatim tamen loquendo, & distrahendo ab electione comparatiua, statum est terminationem diuinæ electionis liberæ, qua electi ad gratiam prædestinationis, & gloriam ei adiunctam ordinantur; esse ex meritis Christi. In hoc consentiunt Recentiores Scholastici, quos postea referemus circa electionem comparatiuam dissidere; esseque doctrinam Catholicam, ait Vasques postea allegandum nec posse absque errore negari, ait Suarez cap. illo 24. n. 38. Videtur enim præuisionem Apostoli cum ait de Christo, *elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem*. Nam illud in ipso, ut præmissimus, significat causam meritoriam. Sicut Threnor. 4. dicitur, *captus est in peccato nostrum*. Et Michæa 1. *in scelere Iacob, omne iſta. Iſrahel, propter peccata & scelera*. Notandæque est comparatio qua eo loco vitur Apostolos, cum ait, *benedixit nos in omni benedictione in Christo, sicut elegit nos in ipso*. Etenim particula *sicut*, aperte fert, tam esse per Christum collationem benedictionis, quàm electionem æternam: ut locum habeat illud Chrysostomi ibi. Per quem nos benedixit, per eumdem nos elegit. [Elegit per Christum, suffragatur S. Augustinus epist. 59. q. 6. cum ait, illud Apostoli 1. Timoth. 1. *sed Deus omnes homines saluos fieri*, nullo alio modo præstari, quàm per Christum hominem. Vbi clarè vides, volitionem diuinam prout ad salutem hominum terminatam, atque adeò maxime prout respicit electos, qui soli salutem cum effectu consequuntur, esse per Christi merita. Accedit perspicua ratio: quia meritum non causat præmium immediate, ut per se notum est ex ratione causæ meritorie; sed tantum causat interuentu alicuius actus liberi, in remunerationem quem virget ad præmium bonè operanti rependendum. Si ergo Christus meruit electis gratiam & gloriam, ut constitutum est; ergo induxit quoque Deum ad habendum actum, quo bona illa electis voluit, propter sua merita. Quod est, meritorie causare liberam terminationem actus diuini ad illa obiecta.

Vt autem declinentur difficultates, & implexitates quibus hæc sententia possit inuolui, dicendum est, non ita esse imaginandum, Christi merita esse causam æternæ terminationis diuini actus ad electos, quasi Deus præuidentem Christum destinantem sua merita ad harum personarum salutem, inde inclinatus & obiectiuè determinatus sit, ad volendam salutem earum, non determinandus aut inclinandus oblique Christi meritis eò destinatis. Non est inquam sic imaginanda diuinæ voluntatis inclinatio per Christi merita ad electos. Nam Christus qui

## Christus caput prædestinatorum 385

in fine seculorum occasione solius peccati venturus erat, non potuit prævideri destinans sua merita ad Angelos, qui ante peccatum hominis, & decretum de Christi aduentu, sunt electi. Neque item intelligi potest Christus dirigens sua merita ad electos status legis naturæ & scriptæ; quia illis priusquam Christus reipsa veniret, danda erat gratia, & ius ad salutem æternam: ut proinde postea adueniens Christus, & merita sua pro eis offerens, non potuerit prænosci destinans merita sua, ut exurgeret electio ad bona prædefinita eis atque collata salutem ex parte, priusquam ipse produceretur. Ad summum ergo, posset Christus præsci ab æterno, destinans cum primum est sua merita ad salutem electorum novæ legis, posteriorum Christo ipso: quia circa hos, destinatio Christi meritorum ad causandam terminationem actus diuini, actum non ageret. Et ita sentiunt Lestius Tractatu de Prædest. sect. 3. à num. 42. Viques 1 parte d. 94. c. 3. Ruis disp. 57. de prædest. l. 7. Aliunde tamen ea destinatio non placet: quia inducit diuersitatem inter electos, ad Christi merita comparatos, nulla talis diuersitatis ratione idonea suppetente; & absque suffragatione Scripturarum & Patrum, ut rursus infra dicam.

776 Quare sic imaginanda est ea causatio diuinæ ad electos terminationis per Christi merita, ut quamvis Deus ex se, ad dandam illis gratiam & gloriam fuerit determinatus, tamen in bonorum illorum decreto liberali, voluerit acceptationem compensationis si quando offerretur à Christo; posito quod occasione peccati veniret. Sic enim Christi merita non excluduntur prorsus à ratione obiectiua determinante Deum ad decernendam quibusvis electis gratiam & gloriam. In posteriore autem signo, Deus præsci factus bonorum operum sibi à Christo exhibendorum in tempore, & gnatus per ea abundè compensandum esse quicquid ipse in bonum electorum decreuisset; inclinatus est ad eximia illa bona electis confirmanda; & ratam habendam liberalem eorum volitionem ratione priorem; inductus ea Christi meritorum prænotione, quæ in priore signo intelligenda est quàm rati habitio hæc electionis primæ planè gratuita, & ex Dei voluntate conceptæ; cum sola connotatione acceptandæ compensationis si quandoque offerretur. Cum electione autem sic concepta. probè coheret, quod Christi prædestinatio sit effectus nostræ prædestinationis; quandoquidem Christus idcirco prædestinatus & productus est, ut redimeretur & salutem consequeretur electi. Nostra enim electio, quæ prior est in genere causæ finalis immediatæ, causatur à Christo meritorie ad modum dictum: quamvis iam supponeretur aliunde præexistura; quia & rata habetur ob merita Christi, & hæc à prima electione nostra non excludebantur omnia.

Statendum igitur est, Deum iuxta nostrum concipiendi modum, sic se habuisse in Christi sui erectione in caput prædestinatorum. Deus ex immensa sua bonitate, cum decreuisset Angelos & homines condere, & omnes ad finem supernaturalem ordinare, eoque saltem per sufficientia media subuehere; ex utroque numero aliquos speciali favore & benevolentia dignatos liberaliter quidem, sed tamen cum con-

*Theoph. Raynaldi de Aurib. Christi.*

ditione acceptandæ compensationis si alicunde affligerit; ad eam celsitatem utrosque in eodem signo rationis promouit. Cum enim in diuinis obiectis, quantum est ex parte actus diuini, nulla sit prioritas aut posterioritas, sed tantum si inter huiusmodi obiecta causalitas aliqua vel præsuppositio intercedat: ea autem causalitas vel præsuppositio, inter Angelos & homines; quoad gloriæ æternæ finem, nulla prorsus sit, fatendum omnino est, utroque in eodem signo rationis, electos esse tanquam membra eiusdem Reipublicæ, & incolas eiusdem cœlestis ciuitatis, ex illis tamen nobilitate naturali discrepantibus partibus compingendæ, ut S. Augustinus satis significat 15. Ciuit. c. 1. Nec verum est, homines tantum esse electos ad gloriam, occasione ruinæ Angelorum; ut eam scilicet explerent. Id enim meritò reicitur à S. Anselmo l. 1. cur Deus homo c. 18. cum enim humana natura Deum ut finem vltimum habeat aequè ac Angelica; capax profectò fuit ordinari ad finem illum, independenter ab Angelis, & ita reuera est factum. Cum autem constet SS. Angelos electos esse ante peccati præuisionem; sequitur, homines quoque electos esse in signo antecedente præuisionem peccati: vnde non nisi per anticipationem quandam dicitur à D. Augustino, electos, de massa perditionis fuisse exemptos: quatenus scilicet qui electi primò sunt, fuerunt postea exempti de massa perditionis, & mole damnata, in qua alij qui præelecti non fuerant, sunt relictii. Angelis & hominibus omnibus sic ordinatis ad supernaturalem finem, & instructis ad id saltem sufficientibus modis; plerisque autem ex utraque illa rationalium & intellectualium creaturarum classe, electis efficaciter & specialiter ad gloriam, per media lectiora; consecuta est, peccati quod permittere fixum erat, in parte Angelorum voluntaria admissio. Vnde Satana primum hominem implantante, hominibus vniuersis manauit exitium: quatenus euerso primo homine, in cuius incolitate totius generis sancta conceptio vertebatur; omnis posteritas in peccato concipienda, & massa perditionis præuisa est. Inde de remedio hominibus, non Angelis qui ceciderant, adhibendo, consilium initum: decretumque reparatur hominum, & gratiæ Angelorum in bono perstantium, eidemque commensuræ gloriæ, compensatur Christus Dominus, carne secundæ Trinitatis personæ circumamicta: ut homo caput esset gratiæ & gloriæ, fieretque omnibus salutis causa, & æternæ vitæ autor, contra quàm primus homo omnibus hominibus, quantum ex se erat, eadem & exitium creauit. Qua de re, multa ex Patribus producta sunt sect. 2. c. 6. *sub finem.* Nunc satis fuerit, producere Oecumenium in cap. 5. ad Romanos, apud quem Photius, perpulchre antichresim utriusque huius gratiæ, & miseriarum capitis prosequitur, explanans verba illa de primo Adam, *qui est forma futuri*, hoc est Christi. [Quonam modo? Sicut morte Adam omnes moriebantur, ita Christi morte omnes viuemus & resurgemus. Figura ergo ex aduerso congruit. Quemadmodum ille iis qui à se descenderent etiam si de ligno non edissent, fuit causa mortis quæ per usum induta erat, ita quoque Christus se sequentibus, etiam si iusta non egissent opera, iustitiam conciliauit. Tria sunt in his quæ parabolicè sibi in-

C C c 2 uicem

uicem respondent, puta similitudo quædam contrarietas, & excessus in similitudine. Contrarietas quidem peccatum & carens peccato, inimicitia aduersus Deum, & reconciliatio erga Deum, condemnatio & iustificatio, perditio, casus, mors, salus, & resurrectio cum vita. Itaque in his est contrarietas. Porro similitudo, sicut per vnum mala omnibus contigerunt, ita per vnum bona omnibus euenerunt. Excessus verò, quia in malis multi sunt vni cooperati & participes essent malorum, in bonis autem nullus cooperatus est, sed vnus Iesus Christi donum fuit. Itaque non similiter & ex æquo, sed per excessum & abundantiam est similitudo. Rursum non solum mala hæc quæ inducta erant per Adam perempta sunt, quod veluti in contrariis similitudo erat ac proportionabile, verum etiam addita sunt à Christo dona, quod excessum & abundantiam præfert. Ideo ait, *At non sicut peccatum.*

Sic igitur decretus Christus, & reparator hominibus datus, Angelis quoque in caput, & salutis autorem, idest compensatorem constitutus est. Præuius enim est, habiturus merita quibus compensari posset gratia & gloria liberaliter hominibus & Angelis prouisa; sed cum conditione acceptandæ compensationis, si Christus aliqua occasione produceretur, eamque offerret Christo itaque præuiso, sua illa merita in compensationem præditam, & litum nostrum offerente; Deus per eius merita sic præuisa & ad id acceptata, gratias omnes & gloriam hominibus & Angelis conferre statuit; itavt bona illa creata, & ipsa quoque terminatio diuini actus ad ea hominibus & Angelis decernenda, esset ex pretio Christi, eisque rependeretur. Christus autem ex quo productus est in tempore, æternum Patris decretum, & omnia quæ in eo inuoluta diximus, fata habuit: sicque caput electorum, vltra generalem rationem capit totius Ecclesiæ, inauguratus est, factus omnibus causa salutis æternæ.

*Multiplex illustratio electionis omnium, per Christi merita.*

777 Hac ratione commodè declinantur difficultates permultæ, quæ implicant & obscurant sententiam de electione per Christi merita, & retinetur meritum Christi, non modò circa gratiam & gloriam, sed etiam circa actum Dei æternum, quo electi ad illa bona destinantur. Ferunt hoc vt minimùm, Scripturæ illæ, omnibus electos à Christo conferri proditur; & liber vitæ continens electos, vocatur *liber vitæ agni*, tanquam exaratus agni sanguine; quia scilicet meritis Christi veri agni, ab origine mundi occisi, in catalogum illum ac beatum librum relatus est ad modum dictum. quisque in eo est conscriptus. Egregiè S. Cyrillus lib. 4. de ador. tractans masculinorum descriptionem à Mose & Aarone iussu Dei factam, Numer. 1. [Qui igitur Mas sit, & ad pugnam aptissimus, & ad inuentam peruenierit, idest ad firmitatem spiritualem, & ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, eum in descriptionem diuinam, & in librum Dei relatum esse, perspicuum esse poterit, vel maxime ex his verbis. Neque enim alia de causa numeratur, vt opinor, qui mas sit, & vigesimum annum aut supra natus, quàm

vt nos quoque ipsi, intelligamus reuocari à Deo atque improbari, qui quis inbellis sit, ac sensu minimè perfectio; quorum vtrumque inesse dicimus iis, qui adhuc sanè adulescentes sunt, nec dum ad iuuentutis mensuram peruenierunt: quam quidem mensuram, diuina lex & nouit & designat; isque est annus vigesimus. In pretio autem is est, & is in numero habetur, & à Deo cognoscitur, per populum & genus & capita & nomen, quisquis adulta iam ætate; & masculus est. Sanctis enim Apostolis, qui eiusmodi virile ætate iam essent, & in eam peruenissent rationis mensuram, dictum à Christo est; aliquando quidem; *Nolite gaudere, quia demonia subiacent vobis; sed potius gaudete quia nomina vestra scripta sunt in celo.* Aliquando rursus; *Nolite duo passeres asse vanerunt; & vnus ex illis non cecidit super terram sine Patre meo, qui est in celo; vestri autem & capilli capitis numerati sunt in quo cum dixit, numeratos esse capillos, dicitur significauit (vt opinor,) quam diligenter cura eos prosequeretur. In librum igitur Dei, qui adulta sunt ætate, ac mares referuntur, vni Aaron, summum Sacerdotem; factus est enim noster legislator summi & sanctus, & innocens sumus Sacerdos, eiusque mediatoris opera, eorum qui virili sunt ætate, & virtute præ ceteris conspicua, in diuinis libris describitur census. Adde præterea de discrimine eorum qui in libro Dei per Christum scribuntur, tum ex seculari, tum ex sacro ordine; ac tum ex adultis, tum ex pueris. Itemque de exclusionem & delatione impiorum à libro viuientium, vt cum istis non scribantur. Insuper de ea descriptione ad Iordanem facta, quæ baptismi perceptionem significat. Denum verò sic concludit. [Animaduerte autem vbique sanctorum hominum descriptionem & agnorum distributionem, Geritur enim per Moysen, & eum qui Sacerdotio præstantissimoungebatur, sicut iam autem dixi, per vtrumque, vnum Christum intelligas, tanquam Sacerdotem summum, atque legislatorem, per quem omnis gratia tribuitur, & illa sit in supernis illis libris descriptio, quos etiam beatus Daniel se vidisse dicit. *libri*, (inquens,) *aperiti sunt.* Nam quia multiplex & diuersa descriptio est, idè plures, non vnus liber.]*

Quod tamen S. Cyrillus, impios qui de libro viuientium deleri dicuntur apud Platonem, existimat de hoc libro vitæ deleri; videtur minus commodè existimari. Is enim liber viuientium de quo delentur impij, est liber vitæ temporalis, quæ eis absumpitur & intercidit propter peccata; iuxta illud ab Angelo demontium impio Imperatori Anastasio apud Theophanem lib. 15. Miscellæ. *Eccè obperueritatem fidei tuæ, annos 14. vitæ tuæ deleo.* Scribuntur enim homines in charta materis vteri, et habet David Psalmi. 138 interprete S. Ephiphaniæ, hæresi 30. & S. Hilario in Psal. 138. Delentur autem cum tolluntur è vitæ: quod eleganter de more, attigit S. Ambrosius lib. de Noë & Arca cap. 13. ad illud, *delebo hominem à facie terræ.* Demonstrat enim celestium verborum pulchritudinem, quod homo non à terra, sed à facie terræ delendus dicatur, addit. [Pulchre autem posuit

## Christus caput prædestinatorum. 387

posuit *delebo* tanquam litterarum apices, qui delentur sine fraude librorum, & sine imminutione tabularum. Non est hic ergo liber de quo agimus; quia quisquis in censu prædestinatorum per Christum scribitur, numquam inde delentur. Sed ut S. Hieronymus in Psalm. 68. rectè distinxit, cum duplex sit liber vitæ; alter vitæ temporalis de quo Moyses Exodi 32. deleri postulabat, nisi parceretur Iudæis; alter verò vitæ æternæ; liber viventium de quo hominem deleri contingit, non alius est quam liber vitæ temporalis; de quo agimus, & cui hominem per Christum inscribi dicimus, est liber prædestinationis ac vitæ æternæ; quem rectius dixerimus, *librum inscriptum*, quam illum cuius est mentio Iosue 10. & 2 Regum 1.

778 Hic liber quod in eum quisquis refertur, refertur per Christum agnum ab origine mundi occisum, dicitur ob eam causam, *Liber vitæ agni*. Ita enim habetur Apocal. 13. cum de bestia, data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eam omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. Et ibidem c. 21. Non intrabit in eam Hierusalem celestem, aliquid conquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. Hic est liber ille de quo Christus Luc. 10. admonerat discipulos, gaudendum esse quod in eo scripti essent.

Dicitur autem *Liber vitæ agni*, varias ob causas: nempe in primis quia Christus est veluti charta, & liber census cui omnes Sancti inscribuntur, quatenus omnes electi per eius merita eliguntur: ut propterea Isaia 8. nominetur *Liber grandis*, iuxta Glossam D. Thomæ Hebræ. 10. Lectione 1. qui etiam ait, scribi in capite libri, cum caput Christi sit Deus, Christus autem sit liber; idem esse, ac scribi in ordinatione & prædestinatione Dei. Apud Thomam Cantipratani lib. 2. c. 7. n. 54. habetur insignis visio, qua Christus Arnoldo Dominicano apparens, ostendit ei in pectore suo, exaratum aureis litteris, ut in libro catalogum electorum, interque eos ipsius Arnoldi nomen. Dicitur etiam liber vitæ esse liber Christi agni, quia Christus est calamus quo scribuntur electi; diuersa quidem metaphora à priori, sed eodem recedente. Christum calamus electis conscribendis à Deo, adhibitum, ex S. Ambrosio descripsimus lib. 2. cum de Verbo scripto. Christus item est qui libro vitæ inscribit electos, quod D. Basilius in c. 20. Esaiæ, ad illud, *puer paruus scribet eos*, egregie tradit, his præter cetera. Iustum planè est, nos nosse quis iste sit scriba, qui ad salutem perouehendis auxiliatur, perinde ac iustus; inque libro coelorum in ordinem digerit eorum nomina qui se à facinorosis operibus auertant. Vique scriba hic ait, *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in celis*. Potest siquidem is scribere moribus commendatos ac probos. An verò verius probat, quia dictum sit; *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis*. Pusio ille est, quem Magi adorauerunt; ille puer, qui in Ægyptum descendit, & postliminio regressus est in terram Israël. Quum igitur multifaria sint notiones

de Domino nostro, & Cruce Iesu Christi, liceat per ipsum intelligere, quia puer est qui adscribit libro vitæ eos qui per penitentiam propius pertingunt ad cognitionem Dei. Concinne Origenes hom. 11. in Luc. in fine, huc refert descriptionem factam sub Cyreno, [Euangelica, (inquit,) narratio quoniam prima descriptio vniuersi orbis sub Cæsare Augusto fuerit, & inter omnes etiam Ioseph cum Maria desponsata sibi atque prægnante nomen retulerit in censum, ac priusquam descriptio completetur ortus fuerit Iesus, diligentius intuenti, sacramentum quoddam videtur significare, quod in totius orbis professione describi oportuit, & Christum, ut cum omnibus scriptus, sanctificaret omnes, & cum orbe relatus in censum, communionem sui præberet orbi, ut post hanc descriptionem, describeret quoque ex orbe secum in libro viventium, ut quicumque credidissent in eo, postea cum sanctis illius scriberentur in celis.] Quod igitur quisquis in codice diuinæ prædestinationis felici sorte describitur, per Christi merita id assequatur, ipsèque liber neminem contineat, nisi Christi veluti manibus illic exaratum, ipso Christo libri caput occupante; iure liber ille, *liber vitæ agni* denominatur.

779 Videtur autem eadem ex causa, Christus à Iustino Dialogo cum Triphone denominatus esse *Testamentum Dei*. Iunguntur sanè Ecclesiastici 24. *Liber vitæ, & Testamentum Altissimi*. Quia igitur Testamentum est scriptura continens dispositionem hæreditatis, seu in qua conscribuntur hæredes futuri, merito Christus *Testamentum Dei*, dici potuit, quia in eo conscribuntur quotquot à Deo admittuntur ad hæreditatem filiorum, & ad gloriam: id est omnes electi. Et sicut hæres institutus, si lis de hæreditate moueatur, non aliter se indemnem præstat, quam exhibitione Testamenti, quo prolato, & hæredis nomine ibidem conscripto, vniuersa lis sopitur: ita electi, non aliter ius suum in diuinam hæreditatem tueri possunt, quam si Christum & eius merita, suorumque ad illa subunctionem allegent. Cum enim se in Christo tanquam in Dei Testamento conscriptos probauerint, indubiè hæreditate potientur, agnoscuntque verè hæredes Dei. An hanc ab causam, Christus, & crux eius ac mors, archiuo comparatur à S. Ignatio sub finem Epistolæ ad Philadelphios?

Inscriptionem quoque nominis filiorum Israël in superhumerali Pontificis, egregiè omnino S. Cyrillus lib. 11. de Adorat. huc accommodat his verbis. [Cæli est nota sinatragus, & inscriptum habet per genera atque tribus, ipsum Israël, locumque in superhumerali nacta. Ex quo facile intelligi potest, quicumque descriptionem in celo consecuti fuerunt, eos prorsus in Christo requieturos, qui pios viros prope modum in humeris tenet, & loco filiorum habet. Eiusmodi quiddam Beatus quoque Moyses dixit, cum à Dei protectione laudare vellet Israël; *Sicut aquila fouens nidum suum, & super pullos suos desiderauit, expandens alas suas, accepit eos, & assumpsit eos in humeris suis*. Quin etiam David, sancto cuique & in adiutorio Altissimi habitanti, præterint; *scapulis suis*, (inquiens) *abrumbraui tibi*. Scapulas, ut opinor, partes corporis, quæ sub ceruice sunt, & hume-

ros indicans, non omnino terga. *In humeris igitur portabuntur*, vt Propheta dixit, & *in brachio assumuntur*, perinde atque ille antiquus Ephraim, quicumque superam illam descriptionem consecuti fuerint, quam gloriosam esse & admittendam, & diuinis muneribus ceteris pulchritudine longè præstantem, ipse Saluator sanctis suis discipulis declarauit, dicens ad hunc modum; *Nolite gaudere, quod Dæmonia subiiciuntur vobis; sed potius gaudere quod nomina vestra scripta sunt in cælis*. Illam porro in lapidibus descriptionem, forte, inquit, filij Israël monumentum coram Domino, quos illi tanquam in Aaron persona, propemodum intueatur. Admittit enim nos Deus ac Pater in memoriam in Christo, in eoque facti sumus & domestici & eius inspectione digni, & tanquam in libro Dei conscripti.]

780 Hoc est sigillum quod omnibus electis imprimitur. Sicut enim Christum Pater signauit Deus, ita Angelus habens signum Dei viui, qui est Christus Dominus, signat electos in frontibus eorum. Vel si Pater est qui electos quoscunque, æquè ac Christum obsignat, Christi tamen imagine signantur. Vnde electi dicuntur fieri conformes imagini primariæ, quæ est Christus, omnium electorum prototypum. Accommodare huc possumus quod apud Origenem Celsus lib. 6. refert à Christianis iactatum. [De mutuis verbis, sigillo signantis qui vocetur Pater, & signati qui iunior dicatur siue filius; respondeatque suo signatori; vinctus sum vnguento albo è ligno vitæ.] Filius hic non sumitur pro secunda Trinitatis angustissimæ persona; sed pro quouis electo migrante è vita. Nam mox subditur de septem Angelis, partim Lucis, partim malis, dictis principalibus, signatori vtique astantibus, animæ quapiam migrante è corpore. ] Et quamuis Origenes, hoc memum Celsi fuisse commentum putet, tamen contingere potuit vt à Christianis aliquibus vel Christianum nomen eumentibus; id inaudierit Celsus. Certe apud Clementem Romanum lib. 1. recognit. *Post medium*, Christus dicitur inunctus ex vnguento ligni vitæ: & Christiani eodem vnguento inuncti sunt, vt ibidem habetur.

Sunt & aliæ metaphoræ pulcherrimæ, quibus idem à Patribus illustratur, consentaneæ ad Scripturas: sed illa præsertim qua Christus Isaiæ 22 v. 13, dicitur *Paxillus in loco fideli*, & *solium gloria domus Patris eius*, & *suspendet super eum omnem gloriam domus Patris eius*, *vasorum diuersa genera*, *omne vas paruulum*, *à vasis craterarum usque ad omne vas musicorum*. Id est omnes planè electi, Christo veluti paxillo inuidentur. De Christo enim ibi agitur, vt liquet ex versu 22, qui de Christo exponitur Apocal. 3. Sed & sponsa quæ ascendit dealbata (ita legit D. Augustinus Epist. 105. & lib. de gratia & libero arbitrio cap. 8. & interpretatur de iustificatione animæ antea peccato sordentis; ) innixa dicitur super dicitum suum, id est Christum. Hæc est porta clausa principi, quæ soli aperitur; quatenus nemo cælum subit, nisi Christus in sua persona reali, aut mystica. Quo sensu varij Patres adducti e. præcedenti, accipiunt verba illa Christi Ioannis 3, *nemo ascendit in cælum, nisi filius hominis*. Nec dissimiliter S. Gregorius in Psal. 4. *Pœnit. ad illud, vigilauit & factus sum sicut*

*passer solitarius in tecto*. Christum enim in tecto mundanæ domus solitarius interpretatur; quia solus Christus assecutus est, & assequetur gloriam; in se scilicet, aut in membris suis mysticis, per illum prouectis ad eam sublimitatem; quia hæreditas Domini, seu gloria est merces fructus ventris; id est Verbi incarnati, vt infra dicam. Vnde facile esset, si res ferret, excutere in superexcellente SS. gloriam quod Christi operum vis meritoria infinita, in Christo, propè manserit irremunerata. (Quantulum enim est quod sibi Christus promeruit?) Compensata ergo duntaxat est, iis donis quæ Christus inuenit nobis; quæ minuta sunt omnia, præter gloriam electorum: quam proinde oportuit esse illustrissimam.

#### An electio comparatiua sit à Christo.

781 Monstratum ergo sufficienter est, electionem absolutam incretam & æternam pro vt terminatur ad electos esse ex Christi meritis. Nunc agendum est de electione comparatiua, circa quam variant sententiæ autorum, consentientium quoad electionem absolutam. Num aliqui omnino referunt in voluntatem Christi humanam totum negotium prædestinationis electorum; ita vt optio quoque eorum qui eligendi erant, facta sit intuitu futuræ per Christum designationis, & efficacia applicationis meritorum ab eo faciendæ pro illis. Ita Henricus 1. parte disp. 29. cap. 4. & Pennotus lib. 6. Propug. cap. 28. & 30. Cornelius à lapide in cap. 1. ad Ephes. ad v. 4. & alij recentiores non pauci, inter quos Alarcon 1. parte tract. 4. disp. 3. 2 n. 15. insuper Christi meritis tribuendam probabiliter censet, priuationem auxilij conueni, quam subeunt reprobi anteriores Christo & posteriores; quoad istos, ad istam suam vltimam à Christo precibus expectant, quoad istos gratiarum actione exceptam. De quo proposuit sententiæ auctario, cum Christi charitate, & munere aduocari, ac redemptoris non satis coherentem, ( vt Ruus disp. 57. de prædest. sect. 9. rectè persequitur ) hic non est curandum, quia de solis prædestinatis, & eorum capite agimus. Insistendum ergo est soli electioni comparatiuæ prædestinatorum, quam vidimus à propositis Theologis Christo vniuersaliter tribui.

Alij id tantum sentiunt de electis qui vixerunt post Incarnationem, & Christum producentum. Ita Vasquez 1. parte disp. 49. a cap. 1. Lessius disp. de Prædest. sect. 3. a num. 4. Ruus disp. 92. Ruus disp. 27. de Prædest. sect. 7. quia quoad hos electos, cessant incommoda quæ videntur pro anterioribus. Nam vt Christus Dominus promeritus fuisset anterioribus iustis electionem æternam, oporteret Christum per humanam voluntatem determinare in singulati, homines quos vellent fuisse à Deo electos ab æterno, & pro illis orare specialiter, vt illis fieret applicatio meritorum quæ per totam vitam & passionem comparaturus erat. Ad hoc cum iam fixum esset, & transisset in remediocantiam, iamque electis illis obtingisset, quidquid obuenire poterat, frustra fieret, & inconditè. Quis enim orat, vt fiat quod iam factum est? Vel quis postulat, ne pereat is qui iam est in tuto? Hæc verò incommoda, non videntur contra electionem

## Christus caput prædestinatorum. 389

hominum posteriorum Christo concessam eius optioni : quia quamvis Deus eos ab æterno elegerit, tamen potuit respicere ad Christi optionem subsecuturam, & ad orationes specialiter ab eo fundendas pro quibuscumque nondum de mortuis, ac extra viam constitutis.

### *Eligitur pars negans.*

782 Mihi consequenter ad supra dicta, præfertimque ad alibi constituta, de signo rationis quo hominum & Angelorum electio simul prædestinata est; verius videtur, huius electionis comparatiua, unicam causam esse beneplacitum Dei. Quam sententiam docet Suarez Tomo 1. 3. partis disp. 41. sect. 4. & lib. 2. de Prædest. cap. 24. à num. 24. Carthagenæ de prædestinatione, discursu 11. Trigolus 1. parte 3. Bonaventuræ q. 18. art. 10. concl. 5. & 6. Et ratio est, quia cum hoc modo electionis, probè coheret omnia quæ de merito Christi respectu electionis nostræ traduntur in Scripturis & Patribus; nec implicatur difficultatibus quibus implicatur alij modi dicendi. Declaro utrumque; Nam ut intelligamus Christum fuisse promeritum electionem nostram, satis est ut intelligamus, Deum præcisa Christi sui cum primùm præcognitus est, bona opera acceptasse, in compensationem beneficij ante decreti electis; sub conditione acceptandæ compensationis illius, si offerretur. Cum hoc autem processu, probè coheret optio electorum, & determinatio eorum per solum Patrem. Potuit enim Pater, ob Christi merita prævisa, decernere ut in singulari hic & ille, sint prædestinati; tamen si Christus prædestinationem promerendo, nullum in speciali designaturus prænosceretur. Sicut hæres, cui Testator commisit locandas in coniugio duodecim virgines, satisfacit voluntati Testatoris, quamvis determinet has vel illas, ex longè pluribus quæ locandæ in coniugio occurrerent; easque testator de cuius bonis locantur in coniugio, æquè censetur dotare, ac si ipsemet eas selegisset. Et qui elemosinam in viginti captivos redimendos, aut viginti pauperes erogandam, erogat in captivos vel pauperes, quos ipse determinat, æquè explet voluntatem eius qui summam illam contulit isque æquè censetur redemisse, & aluisse, ac si ipsemet optionem fecisset, & determinasset in singulari, quod redimi & alij placeret. Hinc ergo manifestum est, quæ de Christo electionum nostram merente, habemus ex Scripturis & Patribus, non deponere, optionem electorum concedi Christo electionem promerenti; sed posse à Patre fieri, tamen ob Christi merita.

Vacare autem eam sententiam incommodis aliarum, patet; quia aliæ sententiæ agrè expli- cant quomodo Christus semper profiteatur, electos, etiam posteriores seu in nouo Testamento viuentes, sibi esse à Patre traditos, ut Ioannis 6. & 17. & Ista 8. Iuxta expositionem Apostoli Hebræ 2. id apertè sonat delectum personarum electarum, potius quam aliarum similium; quæ æquè eligi poterant in participationem gratiæ increatæ, per merita Christi concessæ, ac fructum eius, ab arbitrio Patris manasse; cui diserte Christus Matth. 20. tribuit parasse, & daturum esse sessiones in regno. Optime verò Apost. Ephes. 1. cum dixisset, nos esse

à Patre electos per Christum, addit id fecisse Patrem secundum propositum voluntatis sue; & nos in Christo sorte vocatos esse, secundum Patris propositum. Quæ loca videntur aperte continere quod dixit. Si quæ autem loca ferunt Christum ipsum elegerisse aliquos, ea non spectant ad electionem æternam, sed ad electionem in Apostolatam; quæ longè alia est; Nam Iudæ quoque obtrigit, qui tamen Diabolus, & reprobus erat. Deinde ipsa electio qua Christus in hos potius, quam in illos, humana sua voluntate ferretur, ex diuino arbitrio ortum habuisset, quatenus Pater ad hunc potius quam illud eligendum præuenisset Christum; cum æquè posset eum congruè monere ad electionem aliorum. Manifestum itaque videtur, totam discretionem electorum, antecedere Christi voluntatem: quamvis nihilominus Christus, etiam in horum singularium qui de facto electi sunt, electionem ac prædestinationem influxerit ad modum prædictum, & declaratum, exemplis testatoris & benefici in captivos & pauperes. Ad id enim satis est, ut horum electio propterea absoluta dilectio, in Christum referatur.

Neque tamen ideo aliquid minuius, de summa obligatione qua electi omnes Christo se obstrictos debent agnoscere. Ad immensam enim summam obligationum, cui dissoluendæ succumbere eos oporteat, satis superque est, quod omnes gratiæ, & beneficia omnia quibus in tempore à Deo donantur, sint ex Christi meritis; ipsaque etiam æterna dilectio, propterea quoque ad eos in singulari terminatur, sit ex Christi meritis. Quod autem præelectio, siue electio comparatiua, referatur in diuinum propositum, nec tribuatur humanæ Christi voluntati; cum aliter fieri non potuerit; non minuit obligationem erga Christum: Præsertim cum ipse ratam habuerit paternam præelectionem, sibi quæ de his præelectis complacuerit, ac lubentissimo animo obtulerit litum pretiosissimum cuius in- teruentu mandanda executioni erat illa Patris benevolentia comparatiua, de quæ ea patefacta gratias Patriegerit. Plerique sanè eorum, qui etiam electionem ut electio comparatiua est, Christo tribui volunt, non aliud spectant quam quod Christus vnum aliquid ex his quæ iam proposuimus, circa præelectionem præstiterit, aut certe omnia illa. Quod videtur velle Hieron. 1. parte disp. 29. cap. 3. num. 29. Vnde plerique ex illi qui dissentire à nobis videntur, re ipsa consentiunt, nec nisi quoad voces discrepant.

### *Concluditur insigne Christi decus, ex ratione capitis prædestinatorum. Mutuus inter eos amor attingitur.*

783 Habemus ergo quia ratione Christus penes omnes capitis mystici conditiones, iure dicatur caput prædestinatorum: qui titulus in eximium Christi decus cedet per totam æternitatem. Quod aptare possumus illud Esaia 6. *Erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut querens que expandit ramos suos.* Eum locum egregiè Richardus Viç. Opusc. in illud *qui stit in signum populorum*, accepit de electis, & Christo eos ostente. Præsertimque quadrat comparatio, quia ut Richardus obseruat, arbores illæ æstatè recuperant

recuperant folia, & honorem quem hyems de-  
cussit. Similiter enim electi multa hic per hu-  
ius vitæ hyemalis rigores perpeffi, & aquilona-  
ribus sibilis vexati in paucis, bene tunc in mul-  
tis per Christum disponuntur. De ea vitæ huius  
quod ad electos attinet, analogia cum hyeme;  
altatis verò cum vita futura videndus S. Augu-  
stinus in Psal. 148. ad v. 14. & serm. 112. de  
temp. Terebinthos igitur & quercus mysticas,  
suo hic honore viduas; ibi autem feliciter  
conueltas; & ramorum suæ meritorum dila-  
tatione illustres, ostendit Christus. [Erit ho-  
mo (inquit Richardus.) Angelis utique in osten-  
sionem, Angelorum Domino in ostentationem.  
Gloriabitur enim apud Patrem suum, coram An-  
gelis suis, de meritis nostris, & fructu sui labo-  
ris.] Hæc erunt spolia opima, & præda David  
de qua è Summis discriminibus sanguine suo  
& cruciatibus crepta, in æternum gloriabitur.  
Ita est merces fructus ventris, idest Christi, vt  
interpretatur S. Cyrillus lib. 1. Glaphyr in Pen-  
tat. pag. 185. agnoscitur etiam S. Anselmus  
lib. 2. cur Deus homo cap. 19. qui hanc conside-  
rationem mellissimam esse, superque omnes  
fauos lapidam, propositur.

Manabit ex eodem fonte, incensissimus ille  
amor charitatis, quo per totam æternitatem,  
Christus electos, & electi Christum prosequen-  
tur. In quam rem nihil habeo aptius, quam  
quod Richardus Vid. cap. 10. in Cant. tradit. Ex-  
ponit in primis iussu illud Spiritus ad electos,  
vt in lætulo quem sexaginta fortes ambiunt,  
requiescant à laboribus suis. [Qui enim ingressi  
sunt (inquit) in requiem illam, requieverunt ab  
operibus & à laboribus suis, sicut & à suis Deus,  
quibus pro homine laborauit, & eum redemit.  
Ab his laboribus requieuit in se, pro his labo-  
ribus requiescent in illo membra eius. Nullus  
vnquam sicut ille laborauit, quia non fuit dol-  
or sicut dolor eius. Sed secundum multitudinē  
dolorū eius, consolationes æternæ lætificauerūt  
membra eius, quia magni dolores ipsius, magna  
gaudia membris eius contulerunt; magnus labor  
perpetuum requiem & amara mors, sempiternæ  
vitæ dulcedinem. Pro his enim incompara-  
biliter eum amant, & in eius amore gaudent;  
habent enim quem amant, agnoscunt & vident,  
quod totum vita æterna est. Idem est enim cum  
illo requiescere, & cum illo gaudere, & illum  
habere; item amare nosse est, quia amor notitia  
est, & nosse videre est. Et hæc est vita æterna  
cognoscere Patrem, verum Deum, & quem  
misit Iesum Christum, hæc est illa beatitudo,  
& hæc dotes animæ. Cognitio Dei amor &  
fructus.]

784 Hoc fundamento amoris iacto, quod  
Christum meritoriam salutis electorum cau-  
sam, eorumque germanum caput exhibet, vt  
amoris illius incensissimū Christum inter & ele-  
ctos flagrantis, vehementiam demonstret, sic  
ratiocinatur Richardus. [Quis cogitare suffi-  
ciat illum mutuum amorem Saluatoris & sal-  
uatorum, & quomodo diligit quos tam pre-  
tioso pretio redemit; quomodo illorum salui  
congaudeat, quomodo ipsi eum diligant, & in  
eius amore quiescant, & in eo gaudeant per  
quem se redemptos & ad requiem translatos  
sciunt & semper vident? Cumque æterna cha-  
ritate pro redemptione sua eum diligant, in-  
comparabiliter ab eo amplius diliguntur. Aded

suos in passione dilexit, & tantus fuit in eo fer-  
uor charitatis ad redimendum eos, vt acerbita-  
tem passionis eius omnino tollere potuerit, sed  
noluit; Immo acerbiorē martyrij dolorem  
assumpsit, & pati voluit plus quam nullas ho-  
minum vnquam passus sit, vel pati poterit, vt  
incomparabilem demonstraret charitatem. Quæ  
charitas circa eorum salutem tanta fuit, quod  
cum eos pretio suæ mortis redemisset, non tam  
redemptos à se, quam à Patre sibi datos com-  
memorat quodam loco ita dicens, *Pater qui  
dedisti mihi, volo, vt ubi ego sum, & illi sint me-  
cum.* In tantum de ipsorum redemptione exal-  
tat, vt non reputaret magnum id quod pro eis  
pertulit, sed videatur eos quos accepit, datos si-  
bi potius in munere quam emptos pretio vel  
recompensationi censere. Qui ergo tantum eos  
dilexit in exilio, incomparabiliter quoque dili-  
get in regno, maiorem quoque charitatem circa  
eos habuit, quam circa corpus proprium,  
moriendo pro illis; maiorem quoque ibi circa  
eos habebit, quam ipsi ad eum habere possunt,  
magisque gaudebit de eorum salute, quam ipsi  
in hac possint gaudere: de eorum itaque salute  
gaudebit.]

Reciproca verò electorum in Christum ca-  
put & [Deum] vinum exultatio, his verbis per-  
cetera ab eodem Richardo exprimitur. [Quid  
quid sapere poterit ratio, quidquid recolere me-  
moriam, quicquid desiderare voluntas, Deus erit,  
& singula hæc implebit, quia omnia in omni-  
bus erit, & cantabitur ei canticum lætitiæ, &  
felicitate beatitudinis æternæ. Ibi dum iusti si-  
ne fine damnatorum cruciatus conspiciunt, in  
Dei laudibus crescent; & quia & in se certum  
bonum quo remunerati sunt, & in illis suppli-  
cium quod euaserunt, erit gratiarum actio &  
vox laudis. Gratiarum agent libentiori suo Deo,  
& cum perpetua charitate diligunt, in quo etiam  
signa suæ liberationis, cicatrices videlicet val-  
nerum, inde finem aspiciunt: Quotique te-  
miniscentur periculorum & miseræ quam eu-  
aserunt, tanto exultantes dicent, *Torrem per-  
transiuit anima nostra, aquam intolerabilem.* At  
laudantes Deum subiungent, *benedictus Domi-  
nus qui non dedit nos in captiōem diuicem er-  
rum;* scilicet Dæmonum, de laqueo quorum ve-  
nantium, animæ eorum creptæ sunt, & conui-  
tus est laqueus, quia cessauit tentatio, & ipsi  
sunt liberati; sed inimici vinculis æternæ dam-  
nationis sunt astricti. Quos etiam semper vide-  
bunt in inferno, vt eorum conspectus tormen-  
tis semper gaudeant & liberatorem suum dili-  
gant, & gratias illi agent: Vnde & ad Iob Do-  
minus loquitur, quod Diabolus electi accipiunt  
in premium sempiternum, & quia hic se cum  
eis dum eos tentando affligit, & illic dum vita  
eius pœna gaudebunt quam euaserunt; pro his  
omnibus erit gratiarum actio, eritque vox  
laudis, quia quem diligunt perpetuo lauda-  
bunt.]

#### Vfus doctrinæ.

Horum prægustatio iam ex hac vita, insignis  
totius huius doctrinæ vfus est, præsertim si im-  
mensa illa nomina quibus monstratum est ele-  
ctos Christo obstringi, recogitentur: vt inde  
cum gratus erga tam beneficium animus conce-  
piatur, tam vita ei gratitudini consona exiguatur.  
CAP.